

CAPUT XXXV.

Cinnabaris Mineralis usum externum in morbis dilucidat.

Usum Cinnabaris mineralis internum, præterquam quòd pulveri antepileptico *Cratonis* nonnunquam permixta deprehendatur, nullum facit *Joh. Schroderus Pharmacop. Medic. Chymic. lib. 3. cap. 16* extrinsecus autem adhiberi posse ad sanandam luem veneream, scabiemque aliam, in suffimentis, &c. censet Verùm celeberrimorum Medicorum experientiâ freti, usum ejus internum jam approbavimus. Et sicuti in hac egregia latent arcana, contra infinitos affectus internè adhibita; ita etiam extrinsecus mira præstat, carpis manuum saltem applicita, prout in illustrissima quadam Matrona, variolis cum spasmo laborante, summa cum ejus euphoria fuit expertus *Frid. Hoffmannus Clav. Pharmaceutic. Schroderian. lib. 3. cap. 16*. Sic etiam ex Cinnabari nativa Unguentum contra epilepsiam & alios morbos malignos sequenti modo composuit. ℞. Cinnabar. nativ. ℥ss. Lapid. ophitæ ℥i℥. Magnet. ℥ij. Ol. still. macis, nuc. moschat. de guajac. corylin. ana gt. iij. Confect. alchem. ℥ss. Ung. alabastrin. q. s. Misc. fiat unguentum, ad bregma, frontem, tempora, &c. Aliis quoque unguentis, balsamis & emplastris cephalicis, epilepticis, apoplecticis, hystericeis, arthriticis, &c. Cinnabaris hæc mineralis optimè miscetur.